TAUTOLOGIA DECIMA.

COELI AC NUBES DISTILLAVERUNT *aquis.*

Iudic. 5. verſ. 4.

EXPOSITIO LITERÆ.

Cæca Hebræorũ pronitas in idola.

1 HÆCCINE pro gratiarum actione decantantur à Debora, & Barac, poſt victoriam de Iabin, rege Canaän,& Siſara exercitus duce partam. Mirificus omnimodò triumphus, ut victorijs inſperatis tandem tandem converterentur ad Deum vivum, & verum, qui durà ſemper cervice eandem crambem recoquebant, inhiantes cultui indigno ac pernicioſo ſimulachrorum inanium. Proh nefas! Difficile prorsùs dirigere curva. Simulatque Hebræi liberati & divinitùs à ſervitute alicuius tyranni, in cuius arbitrium, propter proterviam in idolorum adoratione, culpa diſcruciandos dediderat; in alterius ſculptilis venerationem pervicacià propendebant. Malitia uti verſatilis non mutatur in melius, ſed in aliud & turpius. Semel amplexa difficulter expellitur: igitur ſi mutabile propoſitum, in deteriora mutatur. Egregiè Iuvenalis *Satyr.* 13. à v. 230.

Iuvenal.

Mobilis & varia eſt fermè natura malorum.
Cum ſcelus admittunt, ſuper eſt conſtantia: quid fas;
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia. Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? Quando recepit
Eiectum ſemel attrita de fronte pudorem?
Quiſnam recutitus, *quem tu contentum videris uno*
Flagitio?

Non ſecùs in Hebræis, de quibus ſæpe queritur offenſus & fautor Dominus; ſed in caſſum. Patraſſe ſtupenda miracula, illis ſtimulus, ut ruerent ſine mente, ſine ſenſo in deteriora, nova adorantes ſimulachra & ſculptilia. *Cumque Deus iudices ſuſcitaſſet, in diebus eorum* Iudic. 2. 18. *flectebatur miſericordià, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium: poſtquàm autem mortuus eſſet iudex, revertebantur & multò faciebant peiora, quàm fecerant patres eorum, ſequentes Deos alienos, ſervientes eis, & adorantes illos.* Finis iacuiſſe fuit. Ab inolitis minimè reſipuerunt; quouſque ceciderunt inter ruinas *idolorum*: uti dicitur Levitic. 26. 30.

2 Ergo iam à periculis expliciti tempore Aod & Samgar; iterùm propter idola traditi à Domino ſanguinolento Iabin: à cuius ſervitute ſoluti, è cervicibus durum, dirum, ferreumque iugum excuſſere per Deboram & Barac inſigni prorsùm portento; etenim dum in conflictum, claſsicum canerent hoſtes, *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus* Iudic. 4. 15. *eius, univerſamque multitudinem in ore gladij: in tantum, ut Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* Pòſt lactatus à Iahel inter eius pedes exanimatus corruit; ſiquidem heroina eius tempora clavo validiſsimo perforavit. Victoria utique clariſsima: modum ergo ſignat Tautologia. *Cœli ac nubes diſtillaverunt aquis*: & verſ. 20. *De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* Sermo fit de nubibus & cœlis inſtrumentis mirificæ debellationis: & antequàm in expo-

Victoria inſignis Barac.

ſitionem pleönaſmi deveniamus, utrorumque per ſingula verba notandæ ſunt acceptiones.

3 *Cœli.* Cœlum ſæpe debet ſummi pro aëre, ut dixi *Tomis priorib.* & hìc *Tautol. 6. num.* 16. & 24. Ioſue 10. 11. *Lapides de cœlo.* Pſalm. 17. 12. *In nubibus aëris.* & 2. Reg. 22. 12. *In nubibus cœlorum.* Et quia uſus communis apud Profanos, videris, ſi lubet, Plin. *lib. 2. cap.* 38. Senec. lib. 2. *qq. natur.* à cap. 5. Tacit. 1. *Annal.* cap. 28-1. *Hiſtor.* cap. 3. & de *Morib. Germ.* lib. 2. cap. 85. Ovid. lib. 1. *Metam.* fab. 7. Virgil. 1. *Æneid.* v. 62-4. 33-5. 18. 502. 851-6. 15. & 12. v. 842. Obſervat La-Zerda his in loc. Delr. ex Pacuvio in 1. Senec. *Comment.* fol. 113. & Serar. in *Ioſue* 10. *quæſt.* 12. Pro loco edito, vel pro quod ſuper nos, eſtò cœlum non ſit. Homer. 11. *Iliad.* v. 53. *Iupiter à cœlo dimiſit rores.* Egimus, *Tom. 2. Tautolog. 6. num.* 11. & hic *Tautolog. 6. num.* 7. Item quicquid noſtros effugit ſenſus, quo ad cognitionem cauſæ, vel præter ordinem, & naturæ curſum elucet, dicimus de cœlo eſſe vel deſcendere, uti infra videbimus.

Cœlum pro aere.

Pro loco eminentiore. Homer. *Pro re incognita.*

4 *Nubes.* Neceſſe præmittendum, vaporem, ſeu halitum eſſe ſpirationem calidam, & humidam. Qua de cauſa vapor dicitur reſolutio humidi (ſicut exhalatio ſicci) in varias particulas, quæ calore, raritate & levitate ſibi præternaturali affectæ, ſursùm aſcendunt; ut videtur in olla ferventi. Vapor & exhalatio ſunt meteora primæ compoſitionis iuxta Ariſtotelem: quæ autem fiunt exhalatione & vapore; meteora ſecundæ compoſitionis vocantur. Cauſa horum effectiva eſt cœlum, vel Sol per calorem, alioſque influxus ignotos. Finalis, ut ex vaporibus excitatis generentur nubes & pluviæ in terrarum fœcunditatem. De omnibus ergo, etſi brevì, agendum. *Nubes* nihil aliud eſt, quàm vapor elevatus, vel ſublimis à terra per æſtum Solis: ſicut econtrà, licèt ex eadem materia, *Ros* eſt vapor circa terram, qui quidem conficitur ex concretione vaporum. Si verò gelidus eſt, dicitur *pruina* iuxta Plinium *lib. 2. cap.* 60. Berchor. in *Reduct.* lib. 6. à cap. 21. & Granuyſe lib. 11. de *Propriet. rer.* à cap. 6. Pluvia verò fit ex concretione nubium, ut videbimus. Nebula etiam nubes eſt, ſed ſterilis & levis iuxta terram inſidens, quæ facilè à vento rapitur, quoniam humore nec gravis nec gravida; ſicut nubes ſteriles dicuntur, quæ non ex vapore humido; ſed exhalatione ſiccà obortæ vagantur per aëra: unde Iudas v. 12. *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Habent ſæpeſæpiùs nubes, & nebula effectus oppoſitos: igitur hæc ſerenitatem aëris, illa pluviam indicat. Si autem aliquando nebula pluit; ſignum eſt, quòd iam in nubem elevatione ac refrigeratione concreta tranſijt.

Quid ſit nubes ros, pruina, pluvia & nebula?

5 *Diſtillaverunt.* Diſtillatio, ſtillatiovè eſt fluxus guttatim: hinc gutta dicitur liquor aromaticus, quia paulatim quaſi ſtillatus humor ex poris vel rupturis: quapropter cùm guttæ ex nubibus, diſtillari dicuntur. Pro quo ſciendum, nubem iam effformatam ex halitibus ſublevatis uſque in mediam aëris regionem, ſeu interſtitium medium, refrigerari, atque in guttas erumpere. *Halitu in aëre ſupero refrigerato* (inſit Georg. Agricola libell. de *Animant. ſubter.*) *triplex ille humidi fœtus exiſtit: nam ſi mediocriter refrigeſcit, gignitur, aqua: ſi valdè, nix: ſin in diverſis locis diverſo modo (hoc eſt, in ſuperiori, mediocriter, in inferiori vehementiùs) grando.* Alij aliter cogitant: nimirùm ex vapore frigido & humido, ſeu nube, in media regione aëris denſatà, fieri immediatè pluviam, ſi nubes congelationem non patiatur. At ſi aqua congelatur, grando gignitur: verùm ſi vapor conſtrigitur frigore, priuſquàm in aquam convertatur, naſcitur nix. Seneca ubi ſupr. *lib. 4. cap.* 3. delirat. *Grando* (ait) *nihil aliud eſt quàm ſuſpenſa glacies. Nix in pruina pendens congelatio. Illud enim quod inter aquam & rorem intereſt, hoc inter pruinam & glaciem, necnon inter nivem & glaciem intereſſe.* Hinc plures Philoſophorum dixere nubem totam in glaciem congelari, quaſi ſtagnum: pòſtque, ut cadant in terram fragmina, dividi agitatione ventorum: quod quàm ludicrum, ex ſe patet, refutatque Ariſtoteles 1. *Meteor.* 1. cap. 12. *Abſurdum* (inquit) *aquam ſuperiore loco congelaſcere: quandoquidem fieri non poteſt, ut id conſequatur, antequàm reddatur aqua: neque ullo tempore aqua ſuſpenſa permanere poteſt.* Verè: igitur aliàs eſſet aqua continuata, quod nequit in nube: ſiquidem ſtillat, & tunc non eſſet ſtillatio.

Georg. Agr.

Quomodo gignitur pluvia grando, & nix?

Senec.

Ariſtot.

6 Remitto alia aliorum alijs: dicoque brevì, cuncta fieri abſentià caloris. Patet, etenim calore diluuntur: unde halitus ſublimis frigore (quia eſt in media aëris regione) reprimitur per antiperiſtaſim, ne ſuperiùs aſcendat; & ut invenit contraria, ne deſtruatur, craſſeſcit, ut videmus in halitu evaporato versùs laminas vitreas, aut ſpecula: ſitque tunc nubes, ex qua denſata formantur guttulæ; quæ cadentes, ſi frigus vehemens pertranſit totam guttulam, grando fiunt: ſi mediocriter percutit extrema guttulæ (quæ continuò ſit mi-

nor

nor, & continuò percutitur) continuò criſpatur, qua percuſsione nix pectitur. Si grandior gutta nubis (quod fit ex eo, quòd nubes citiùs à calore in aquas reſolvitur: reſolviturque citiùs tonitrui ſtrepitu) maiuſcula ſpuma, ſeu cœli ſaliva: vernaculè, *Copos.* Quapropter ex humore nubis, non in ipſa, ſed deſcenſu versùs terram fit in aëre pluvia, grando, aut nix.

Quomodo fulmen?

Fulmen verò, non ut aliqui autumant, ex colliſione & conflictu nubium, ex quo calor, gignitur; ſed quia intra nubis penetralia exhalatio unctoſa, vi Solis è terra elevata, denſatur: qua de cauſa hæc aut illa regio magis obnoxia fulminibus, aut id genus tempeſtatibus.

Quid & unde tonitruus?

Sicut ignis, ſeu flamma, dum rareſcit, in fumum abit; ita fumus denſus ſine refrigeratione abit in flammam & ignem. Tonitrum fit ex eruptione ignis incluſi in nube, vel ſubità rarefactione ſiccæ & compactæ exhalationis, per nubem vagantis, & eius ad latera impingentis. Quapropter, quia rarior nubes versùs æthera, quàm versùs terram, non hàc, ſed illàc frequentiora fulmina. Fit fragor, aut fremitus in aëre, nube apertà, ſeu potiùs ruptà enixu fulminis vel fulmine rumpente, quò facilior exitus: & cùm ibi includatur, exhalatio iam ignea, dum erumpit, fit fulgetrum aut coruſcus. Seneca lib. 2. *qq. natur.* ubi latè cuncta; fulmen dicit, cùm ignis emittitur: fulgur cùm ignis oſtenditur. Verùm hoc intelligendum de fulgure fulminis, dum erumpit: nequaquàm de coruſcatione, ſeu fulguratione ſolà, quæ ſeorſim fit exhalationibus ſiccis, ſed non craſsis, oleagineiſvè: quandoquidem fulgetrum, ſeu fulguratio flamma eſt, & intra viſcera nubis; futura fulmen, ſi plus virium haberet, & eſſet pinguior materia: igitur fulgur & fulmen diſtinguuntur penes magis & minus: conſtatque, quippe coruſcatio ſine tonitru fit; coruſcatio verò fulminis nunquàm ſine fragore.

7 Nubes autem, dum ſublimes manent nihil aquæ continent; ſed craſsitie vaporum mutantur in aquam, ſeu liqueſcunt: tuncque aqua ſtillata per aëra decidens, vel rigeſcit, vel pectitur, vel fluit: rigeſcit in grandinem, pectitur in nivem, vel fluit in pluviam.

Cur glacies, eſtò ponderoſa non ſubmergitur?

Rigeſcit in grandinem, ſi totum corpus guttæ frigore vehementi penetratur, manente intra poros guttæ vento; quod patet & magis in glatiæ: equidem quamvis moles magna & ponderoſa; ſemper ſupernatat, reditque in aquæ ſuperficiem, eſtò violenter demergatur in fundum. Pectitur in nivem, quæ quia per partes, id eſt, per guttularum extrema formatur, plus aëris habet: hinc quaſi volitando in terram deſcendit, quippe utpotè levis, à levi rapitur vento, fugitque flatu: quod fieri nequiret, ni diſtencta vento permaneret, quod videtur, dum comprimitur. Aliàs gutta ex qua nix, pondere gravi ſine morulis deſcenderet, nec oris moveretur halitu, ut ludicrè fit cum nubis ſpuma. Denique fluit, ſi puraputa aqua, quæ dicitur pluvia, & quia craſsior, neceſſe eſt, quòd cadat: verùm duntaxàt ſtillatione; quia non poteſt nubes ſimul tota concreſcere, unde non poteſt tota ſimul fluere: equidem minutim & disiunctim formatur, & vapor mutationem ſimiliter recipit. Quinimò non decidit, ſi minutiſsimæ guttulæ ſunt, & quaſi volatiles: ſed cùm iunguntur (ne citius à calore reſolvantur) in grandiuſculas portiones, pondere cadunt, concretæ omninò ex nube nutrice. Quapropter quando celeriùs fit mutatio vaporis in nubem, & nubes in aquas; grandiores guttæ decidunt: ſi exceſsivo frigore, lana cœli amplior: vehementiore, grando corpulentior. Potius fortè videbor Ariſtotelis Interpres, quàm Scripturæ; ſed ad ſacra deducenda cuncta.

8 Pluvia dicitur inſtillatio nubis, ſeu aquarum: unde in textu dicitur: *Nubes diſtillaverunt aquis*: etenim invenitur inſtillatio & aquarum, ſed non ex nubibus: ut patet in fletu, ubi

Quid lachryma?

aqua ſtillatur ab oculis, quæ dicitur lachryma: & ſi uberior, pluvia lachrymarum. Sicut pluvia lachrymarum dicitur de copioſo fletu; ita pluvia dicitur lachrymatio nubium.

Sophocl.

Soph. in *Antig.* v. 531. *Lachrymas ſtillans nubes.* Homer. 18. *Iliad.* v. 32. *Lugebat, lachrymas ſtillans.* Eurip. in *Phœniſ.* verſ. 1521. *Inſtillantibus lachrymis lugens.* Quo intelligitur illud

Ierem. 9. 1.

Ieremiæ: *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo?* Cap. 14. 17. pro *Deducant oculi mei lachrymam*: Hebr. *Inſtillent.*

Vatabl.

Idem Vatabl. ad illud *Pluviam voluntariam ſegregabis.* Pſalm. 67. 10. Sophocl. ubi dudùm. *Nubes ſeu ſupercilia fluxus decorat, irrigans formoſas genas.* Horatius de *Art.* verſ. 430. *Etiam ſtillabit amicis ex oculis rorem.* Ovid. 3. *Amor.* Eleg. 3. verſ. 68. *Flebilis imbre ſinus.* Singularis profectò officina & artificium! *Hinc illæ miſericordiæ lachrymæ* (ait Plin. *lib.* 11. *cap.* 37.)

Plin.

hinc fletus & rigantes ora rivi. Quis ille humor eſt, in dolore tam fœcundus & paratus? Aut ubi reliquo tempore?

9 Inconcuſſum apud Philoſophos, fieri lachrymas ex humida evaporatione cordis verſus cerebrum; qua de cauſa ſignantur ut cordis pluvia, pectoris imber, ſtillatio cryſtallini ſanguinis, liquor pretioſi cruoris: diciturque ſtillatio, quippe nubis adinſtar, non

ſimul

ſimul totus humor reſolvitur, ſed paulatim; ni ex ſtupore acerbitatis percellatur cor; igitur tunc nullæ lachrymæ, quoniam præ aſſultu, nimiaque triſtitià (quæ cordolium) ſequeſtratur humor in lachrymas producendus; & cor undique conſtrictum, quaſi immotum in liquore ſepelitur, quo vallatur. *Unde?* Claudian. 3. de *Rapt. Proſerp.* verſ. 151.

Hæſerunt lachrymæ: nec vox, aut ſpiritus oris
Redditur, at imis vibrat tremor oſſa medullis. Claudian.

Suſpenſio lachrymarum ex dolore ſummo.

Sic Petronius cùm in communi dolore dixiſſet *Metr.* 32. *Oculis nec defuit imber*; in gravi, poſt manuum contritionem uſque ad articulorum crepitum, ſuſpenſionem fletus ſignat ſubdens: *Expectavimus lacrumas ad oſtentationem doloris paratas.* Petron. Eurip. in *Troad.* verſ. 508. *Lapſa peream, lachrymis arefacta.* Eurip. Et Ovid. 1. de *Pont.* Eleg. 2. verſ. 29.

Fine carent lachrymæ, niſi cùm ſtupor obſtitit illis,
Et ſimilis morti corpora torpor habet. Ovid.

Unde cùm dicitur 1. Reg. 30. 4. *Planxerunt, donec deficerent in eis lachrymæ*; non intelligendus planctus pro fletu, ſed pro ululatu, uti latè diſſerui *Tom.* 2. *T.* 7. *Donec* ibi pro *ita ut.* Q. d. (naturaliter nequit eſſe in homine tanta ſiccitas, ut deſit humor ad lachrymas) ita calamitate viſà perculſi ſunt ſtupore; ut nulla ad oculos lachryma flueret. *Donec pro ita ut.* Vel, ita commoti dolore, ut nec lachrymari poſſent; cùm totius imbris mittendi præ dolore ad oculos, in cor unda refluxiſſet.

10 Ergo cordis exhalatio, ut fit in oculis lachryma, ſemitas habet, nimirùm, extremitates venarum, deſinentium in canthos oculorum, qui quidem quatuor ſunt in angulis inferiorum & ſuperiorum palpebrarum; & ut aliquibus placet, & mihi non diſplicet, in lachrymali (Græcè, *Rhanteres,* id eſt, humoris inſperſio) ad quod perveniunt præfatæ venæ, poſtquàm permearunt per tempora & frontem.

Quomodò lachrymæ formentur?

Ibi erumpunt lachrymæ, ut formentur in guttas, per ſpiramina aliquatenùs prominentia iuxta pilos palpebrarum inferioris & ſuperioris, ut obſervat Galen. 4. de *Utilitat. part.* Vide Nancel. *Analog. Microcoſm. ad Macrocoſm.* lib. 10. cap. 6. & in *Append.* Tract. de *Fletu.* Theoph. Bonet in *Mercur. Compital.* lib. 5. verb. *Epiphora,* num. 4. & lib. 2. de *Morbis*, cap. 35. Ioan. Iacob. Manget *Biblioth. Medico-pract.* Tom. 3. verb. *Oculus.* Et Valleſſ. de *Sacr. Philoſoph.* cap. 58. & 84. Aſsignat Galen. loc. cit. in foraminibus, ſeu meatibus carnem nervoſam, quę dicitur Lachrymarum frænum, quo coërcetur fluxus humoris: igitur ſi abeſſet, eſſet profectò perennnitas lachrymarum.

11 Quia hæc obvia, inquires curioſè, Cur aliquando lachrymæ frigidæ, aliquando calidæ manant ab oculis? Aliqui dicunt excitatione maiore vel minore cordis fieri: ita ut ſi urgeatur parcè mœſtitudine cor, nulla lachryma ſit calida: ſin verò graviter acrimonià excitetur, nulla lachryma ſit frigida. Ludicrum videtur: etenim cùm apud Homerum uſquequaque dicantur *calidæ lachrymæ*, copiam fletus indicat; & qui flent, dolere ex corde. Hic dubium non eſt de oculo læſo, & lachrymante, ſiquidem tunc humor crudus: & quod crudum in animali, patet frigidum, ſicut concoctum calidum, ut videtur in ſudore, urinà, & ultimà lachrymà moribundi, quæ ſanè effluit propter defectum facultatis: de quo Ariſtoteles ſect. 31. *Problem.* quæſt. 24.

Cur lachrymæ frigidæ, & calidæ?

Aliqui dicunt, lachrymas ex triſtitia, ſeu cordolio oriri per inferius foramen, ſeu meatum palpebræ inferioris, quò perducuntur ex corde: ideòque calida lachryma, tanquàm à principio calido. Quæ verò ex gaudio, ſeu corſalio produntur, è cerebro manant per ſuperius ſpiramen palpebræ: hinc lachryma frigida, quippe à cerebro quod frigidum. Alij cogitant omnem lachrymam oriri à cerebro; ſed ſi excitatur triſtitià, calidam eſſe, quippe eſt cerebri conſtrictio, qua lachrimarum expreſsio: at ſi gaudio eſſe frigidam; quoniam cerebri laxatio, ex qua liquoris non expreſsio, ſed effuſio. Idem dicunt, qui autumant à corde fluere, nimirùm frigiditatem, vel calorem provenire ex laxatione cordis præ gaudio, & ex compreſsione præ triſtitia, & mœſtitudine. Dicam etiam quod auguror. Notum eſt, metum & triſtitiam in extremo maximè mittere frigiditatem; quoniam calor in ſubſidium cordis accurrit in præcordia.

Diſcrimen illarum ex gaudio & mœrore.

Perſpicuum etiam, gaudium extendere calorem laxatione præcordiorum maximè in faciem; ut patet in profusè ridentibus & præ riſu plorantibus. Semper calida lachryma eſt: quùm per ora defluit (vel frigida mœrore, vel calida gaudio) exeunte humore per ardentem faciem evaporatione caloris; lachryma videtur frigida: atque facie frigidà per receſſum caloris, videtur calida. Conſtat. Lachrymæ tepidæ ſunt: tepidum autem reſpectu calidi eſt frigidum; reſpectu frigidi calidum. Ita D. Thom. 1. *part. quæſt.* 50. *art.* 1. ad 1. ait: *Medium autem comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum: ſicut tepidum comparatum calido videtur frigidum.* D. Thom.

Modò

12 Modò ad textum. *Diſtillaverunt aquis.* Hoc eſt,pluviâ propriè. Metaphoricè ſunt ſæpe in Script. tàm pluvia quàm ſtillatio; & in commodum, & in incommodum: tuncque ſignat quælibet vox copiam,aut multitudinem:quo ſtylo etiam Virgil. 12. *Æneid.* v. 283. & Plutarch. in *M. Craſſo*, inquiunt: *Telorum imber. Tempeſtas telorum.* Iſai. 45. 8. *Rorate cœli deſuper.* Exod. 16. 4. *Pluam panes.* Pſalm. 77. 24. 27. *Pluit illis manna.* Ezech. 34. 26. *Pluviam benedictionis.* Amos 9. 13. & Ioel. 3. 18. *Stillabunt montes dulcedinem.* 2. Mach. 8. 27. *Miſericordiæ initium ſtillans.* Pro incommodo, Gen. 19. 24. *Dominus pluit ignem à Domino de cœlo.* Pſalm. 10. 7. *Pluet ſuper peccatores.* Quapropter quia pluvia aliquando benigna, aliquando acris, ad eloquium pluere, fluere, & inſtillare transfertur: ſignatque in ſermone manſuetudinem, & comminationem. Deuter. 32. 2. *Fluat ut ros eloquium meum.* Iob. 29. 22. *Super illos ſtillabat eloquium.* Iuvenal. *Satyr.* 3. v. 122. *Facilem ſtillavit in aurem.* Horat. 1. *Epiſt.* 8. v. 16.

Imber pro copia.

Tàm in bono quàm in malo.

Præceptum auricolis hoc inſtillare memento.

Horat.

Pro comminatione, Ezechiel. 20. 46. *Stilla ad Africum & propheta.* 21. 2. *Stilla ad ſanctuaria.* Amos 7. 16. *Non ſtillabis ſuper domum idoli.* Id eſt, in familiam Ieroboàm. Alia infrà. Signari idem per pluviam & inſtillationem, patet ex textu præfato Iſaiæ: igitur ubi *Rorate* &c. Pagn. ex Hebr. *Stillate cœli deſuper: & cœli ſtillate iuſtitiam.* Hìc ergo dicuntur nubes diſtillaſſe aquis; quippe aliquando diſtillarunt igne, uti latè videbimus: quare non pro communi pluvia huiuſmodi aquarum ex nubibus diſtillatio uſurpanda, ſed pro tempeſtate. *Fulgura & coruſcationes & lapides grandinis immenſæ magnitudinis ceciderunt ſuper exercitum: itaque non poterant ſuſtinere, ſed multi mortui ſunt, & alij fugerunt, & fugiendo occiſi ſunt.* Ita Lyra hìc, & Ovidius eadem acceptione 1. *Metam.* fab 7.

Hebr.

Pluvia pro tempeſtate.

Lyr.

Utque manu latè prudentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.

Ovid.

Ideo de præſenti pluvia dicitur v. 8. *Nova bella elegit Dominus*, propter modum ſpecialem armorum & militum extra communem naturæ curſum, quo Dei patuit ſingularis in hoſtes vindicta, ut pugnaret orbis terrarum contra inſenſatos, uti Exod. 9. 23. *Dominus dedit tonitrua & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti.*

Iudic. 5. 8.

Cur dicitur bellum?

13 Hanccine in Siſaram pluviam deſcribit Ioſephus. *Itaque* (inquit) *commiſsà pugnà, vehemens imber miſtus grandine ſupervènit, quem ventus in adverſos Chananæorum vultus ingerens, & proſpectum adimens, inutiles eorum iaculatores ac funditores reddidit, atque etiam ſcutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix tenebant. Iſraëlitas verò tempeſtas à tergo imminens non ſolùm minùs offendebat, ſed alacriores etiam faciebat, manifeſto Dei præſentis ac faventis ſigno accenſos. Itaque ruptà adverſà acie, turbatiſque ordinibus ingentem hoſtium ſtragem ediderunt: atque ita pars telis Iſraëliticis cadebant, pars à ſuo metipſorum equitatu ac curribus proterebantur.* Sic accidiſſe textus ſacer indicat: igitur v. 20. additur: *De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* Dicuntur *ſtellæ in ordine* &c. alluſione ad pugnam Ioſue pro Gabaönitis contra quinque Reges, qua Sol & Luna ſteterunt. Immotis luminaribus cœli, tunc lapides grandinis immiſit Dominus, uti dicitur *Ioſue* 10. 11. & *Eccli.* 46. 6. His utitur Deus tanquàm telis & ſagittis. Hìc v. 11. *Ubi colliſi ſunt currus.* Hebr. legit: *De voce ſagittatorum.* Habac. 3. 11. *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo: in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Iob. 38. 3. *Theſauros grandinis, quæ præparavit in tempus hoſtis in diem pugnæ & belli.* Idem *Pſalm.* 17. 14. 15. & 2. *Reg.* 12. 14. 15. Etiam apud Ethnicos invenies. Horat. *lib.* 1. *Od.* 2. v. 1.

Ioſeph.

Cur fulmina dicantur iacula?

Iam ſatis terris nivis, atque diræ
Grandinis miſit pater: & rubente
Dexterà ſacras iaculatus arceis
Terruit urbem.
Terruit genteis, grave nè rediret
Sæculum Pyrrhæ nova noſtra queſtæ.

Horat.

Silius Ital. *lib.* 17. v. 66. *Condebant iaculis ſtridentibus æthera nubes.* In pugna Baraci adverſus Siſaram eiuſdem generis arma & ſagittæ, quibus victi reges tempore Ioſue: verùm ſtellis manentibus,& immotis luminaribus cœli,de cœlo grandine inuſitatà,coruſcis fulgetris, fulminibus ita pugnatum; ut hoſtes vel pallantes proſternerentur: quin poſſent arma movere, niſi contra ſe, uti factum legimus tempore Theodoſij Iunioris apud Auguſt. de *Civit.* lib. 5. cap. 26. Oroſium *lib.* 7. *cap.* 37. canente Claudiano de 3. *Conſul. Honor.* à v. 60.

Arma Deus convertit in portantes.

Cau-

——Cauto nec profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis, ſpes irrita valli
Concidit, & ſcopulis patuerunt clauſtra revulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit haſtas.
O nimium dilecte Deo! Cui fundit ab antris
Æolus armatus hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.
Alpinæ rubuere nives, & fregidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus iuviſſet flumina ſanguis.
At ferus inventor ſcelerum traiecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Enſis, & ultrices in ſe converterat iras,
Tandem iuſta manus.

Claudian.

Vide Caſparem Barthium hìc. In ſententia Alapide non aliter pugnatum eſt in Mari-Rubro. Conſule in 13. *Exod.* v. 21. & 14. v. 24.

14 Dicitur autem ſtellas de cœlo pugnaſſe, ut clareat adhuc in meteöris ſecundæ impreſsionis irregularitas, etiam quod miniſterio Angelorum factæ fuerint eiuſmodi impreſsiones, uti notavimus *Tom.* 3. *T.* 4. à *n.* 16. Fulgent Angeli ſicut ſtellæ & manent in ordine ſuo adinſtar militum: ideo tàm Angeli, quàm ſtellæ dicuntur Militia cœli. De ſtellis loquimur hìc *Tautolog.* 3. *num.* 13. de Angelis conſtat Geneſ. 32. 1. 2. *Angeli Dei. Caſtra Dei ſunt hæc.* & 4. *Reg.* 6. à v. 16. Factis meteöris, novis phœnomenis vibrabant Angeli tàm fulmina, quàm grandinem certo ac deſtinato ſcopo, ictu valido in Siſaræ milites, quin Hebræis intermiſtis nocerent. Nullo modo victoria, uti narrat Plutarch. in *Timoleon. Ubi* (infit) *ad gladios res pervènit, ſubitò à montibus terribilia tonitrua & ignita fulgura eruperunt: tum caligo quæ colles & iuga montium inſederat, cum imbre, vento & grandine in locum ubi pugnabatur, decidit, à tergo Græcos tangens: Carthaginienſibus verò facies feriebantur, & fulguribus oculi perſtringebantur, ſimul humidà procellà & continuà flammà è nubibus continenter erumpente. Multa erant hìc quæ læderent: omnium tamen maximè incommodaſſe ipſis videntur tonitrua, ſtrepituſque armorum; vehementi imbre, & grandine percuſſorum, obſtans ne exaudire mandata ducum poſſent.* Singularis caſus & rerum articulus: cæterùm aliter hic; quandoquidem Deus non fecit taliter omni nationi. Inſigne tunc rutilavit miraculum, ſicut in Ægypti plagis. Ideo Sapient. 16. 16. *Novis aquis* (dicitur) *& grandinibus & pluvijs perſecutionem paſsi, & per ignem conſumpti. Novis*: quippe novum fulmina non terrere, fulgura illuminare; non gravare grandinem; imò nec ab illa Hebræos tangi. Pende pro Mellifluo Bernardo, dum ſubdiò pluit, eius cartha minimè madet. Vide Iacob. Merlonem in *Introduct. ad oper.* Sic Pſalmographus Regius, poſtquàm deſcripſit huiuſmodi phœnomena, & procellarum pugnam, addit: *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Unde Genebrard. hìc: *Antitheſis eſt: ſuper hoſtes diſtillaſti & depluiſti iracundiæ tuæ imbres; at ſuper populum tuum gratam voluntatem.* Ex quo hìc Sanctius num. 21. *Opponit hanc voluntariam, placidam ac liberalem pluviam, illi inimicæ ac formidabili, quam priùs cœli in Ægyptum ſtillarunt.*

Meteora irregularia miniſterio Angelorum.

Plutarch.

Sapient. 16. 16.

Miraculum inſigne S. Bernardi.

Pſal. 67. 10.

Genebrard.

Sanct.

15 Quanta ſtrages & ululatus ex horrido terribili tonitruorum ſtrepitu, nubium fragore ac mugitu, fulgurum eiaculatione, non ſolùm grandinis prodigioſæ, ſed fulminum tempeſtate; atque pavor ex turbinibus ventorum, & colliſione oppoſitarum concurrentium nubium! Virgilius 1. *Æneid.* v. 62.

Horror procellæ.

Inſequitur clamorque virùm, ſtridorque rudentum;
Eripiunt ſubitò nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra,
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther;
Præſentemque viris intentant omnia mortem.

Virgil.

Silius Italicus de *Bell. Punico*, lib. 17. à v. 256. ſuccinit, & eleganter:

Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare
Fulmina, & in claſſem ruere impacabile cœlum:
Conſenſere ignes, nimbique, & fluctus, & ira
Ventorum, noctemque freto impoſuere tenebræ.

Sil. Ital.

Præ-

Prælium ſanè, quo elementa commota quaſi ultra ſphæram. *Terra mota eſt* (dicitur) *cœlique ac nubes diſtillaverunt aquis.* Commotio terræ in pugna eſt horror & terror: terror pugnantium, horror cadentium: terror mortis imminentis, horror ſtragis, addito in ſtuporem & clangore tubarum, & ſonitu mutuo clipeorum, fulgurantium ictibus, & coruſcantium continuò diverſis motibus, quaſi involveretur orbis. 1. Machab. 9. 13. *Clamabant tubis: exclamaverunt autem & hi qui erant ex parte Iudæ; & commota eſt terra à voce exercituum, & commiſſum eſt prælium.* Claret terra pro hominibus c. 6. 41. *Commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis eorum & inceſſu tubæ & colliſione armorum.* Sic intelliges illud c. 1. 3. *Siluit terra in conſpectu eius*: Alexandri ſcilicèt, quippe nemo auſus eſt illi ingerere bellum, quo quaſi terra videtur commoveri. Legeſis Q. Curt. *lib. 6. cap. 9.* & Sanctium hic n. 9. Si ita in terra ſereno cœlo, quid in terram illo arma fulgurum vibrante?

Quid commotio terræ in pugna?

1. Mach. 1. 3.

Terror erat, campoſque pariter, valleſque refuſas.

Sil. Ital.

Ait Silius Italicus ubi ſupr. v. 63. & Virgil. 1. *Georgic.* v. 328.

Ipſe pater mediâ nimborum in nocte coruſca
Fulmina molitur dextrâ, quo maxima motu
Terra tremit: fugère feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor.

Virgil.

16 Patet undique horror, crepitante cœlo, & concuſsâ terrâ motu: at ſi accedit tunc aliquod improviſum, etiam fortes cadunt animo, uti accidit exercitui Heliodori vel intra urbem, de quo 2. *Machab.* 3. Plura id genus refert Plutarch. in *Paral.* & Raviſ. Textor. in *Officin.* lib. 7. cap. 53. *L. Martio* (infit) *& Sexto Iulio Conſul. in agro Mutinenſi duo montes inter ſe concurrerunt, crepitu maximo aſſultantes & recedentes, & inter eos flammâ fumoque exeunte: quo concurſu animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata ſunt.* Intende modò in Scripturam. *Scopuli* (Arnon) *inclinati ſunt. Sicut fuit in Mari-rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.* Unde ſicut diviſio maris non fuit metaphorica, ita nec tranſitus Arnon ſicco pede: propriéque terra mota eſt, & ſcopuli fracti, & montes convulſi. *Cœlum turbabo, & movebitur terra de loco ſuo*: dicitur Iſai. 13. 13. quod etiam indicatum *Zachar.* 14. 4. *Pſalm.* 67. 8. & 96. 5. Impoſsibilis videtur hominibus montium evulſio, & in cor maris tranſlatio; ſed cùm terrere Dominus, vel caſtigare vult impios, hoccine improvisò facit. *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubvertit in furore ſuo.* Iob 9. 5. Vel Ethnicus, 1. *Georg.* v. 331. inquit de irato Iove:

Prodigia motu terræ.

Numer. 21. 14. 15.

——— ——— ——— *Ille flagranti*
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit.

Virgil.

Tradunt Hebræi (infit Petrus Comeſtor in *Numer.* cap. 29.) *immenſam multitudinem Amorrhæorum, in convallibus torrentium, & ſcopulorum Arnon poſuiſſe inſidias Iſraëlitis, ut tranſeuntes perimerent: Dominum verò latitantes oppreſiſſe rupibus, hinc inde inclinatis, ita ut labentia ſcopulorum extenderentur in Arnon, ibique requieſceret, id eſt, finiret.* Ita Lyra, Abulenſis hìc & Adrichom. in *Gad.* num. 7. ex plur. AA.

Scopuli Arnon oppreſſerunt inſidiātes.

Petr. Com.

17 Hæc de motu terræ & montium AA. non infimi ſubſellij placent, qua de cauſa teſtimonijs adſtruxi ſacris, profaniſque; ſed mihi minimè arrident, niſi ubi propriè proferuntur ut miracula. Motus terræ in huiuſmodi articulis, ac tractibus, non eſt terræ motus; ſed pugna ventorum, concurſus & occurſus aëris agitati vehementiſsimè ex copia exhalationum. Græcè, *Typho*: Latinè dicitur *Nimbus*, turbo, ventus verticoſus, qui cuncta quaſſat, ſecum perfert, imò trahit: arbores evellit, turres proterit: quare cum nimia ventorum vehementiâ, curſu & recurſu univerſa moveantur; faſtigia arborum, imò harum nutatione cacumina montium fluctuare videntur: domus, & obvia quæque ruere: non quia terra moveatur, ſed quæ duntaxàt in ſuperficie terræ. Unde motio terræ hìc procella eſt, & commotio rerum; quæ prominent ſuper terram, agitatarum ab irritatis ventis, fremitu horriſono, atque violentiâ indignatis. Virgil. 1. *Æneid.* v. 55. *Loca fœta furentibus Auſtris.* & Lucretius 1. de *Rer. nat.* v. 273.

Cur cuncta videntur mota in grandi procella?

Virgil.

Interdùm rapido percurrens turbine campos
Arboribus magnis ſternit, montiſque ſupremos
Silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
Confremitu, ſævitque minaci murmure pontus.

Lucret.

Similiter arbitror de diſtillatione, inclinatione, fluxu & liquore cœlorum. Quo plura Scripturæ teſtimonia luce donantur, accepto cœlo pro aëre (ut ſuprà diximus) meteörorum officinâ. Sic ergo *Cœlos inclinari*, nihil aliud eſt, quàm exhalationes in nubibus efforma-

mari in fulgura & fulmina, diffluere in grandinem, liquefieri in pluviam, ſtillare in tempeſtates & turbines. Ita patet illud, *Inclinavit cœlos & deſcendit*: ſubditque Vates Regius pro expoſitione à verſ. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum* (id eſt, medium interſtitium aëris) *tenebroſa aqua in nubibus aëris. Præ fulgore* (fulgure) *in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis: & intonuit de cœlo Dominus, & Altiſsimus dedit vocem ſuam: & miſit ſagittas ſuas* (fulmina) *& diſsipavit eos: fulgura multiplicavit, & conturbavit eos: & apparuerunt fontes aquarum* (in tempeſtate) *& ravelata ſunt fundamenta orbis terrarum*: procellâ nimirùm ventorum, quorum agitatione videtur terra moveri, ac devolvi, cœlumque inclinari in terram: maximè dum fulmen torquetur, & percutit humum. Ideo dicitur, *Ruit æther*: Virgil. ubi dudùm v. 324. pro maxima tempeſtate, & commoveri cardines cœli & terræ. Lucan. lib. 5. *Pharſ.* à v. 630.

Pſal. 17. 10.

Inclinatio cœlorum pro rigida tempeſtate.

Virgil.

Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, ſed obſcurum nimboſus diſsilit aër
Tunc ſuperùm convexa tremunt, atque arduus axis
Inſonuit, motâque poli compage laborant.
Extimuit natura chaos: rupiſſe videntur
Concordes elementa moras, rurſuſque redire
Nox manes miſtura Deis.

Et cœlum ruere.

Lucan.

Ovid. lib. 1. *Metam.* fab. 7. *Correptaque regia cœli*: & *lib.* 2. fab. 1. *In Chaos antiquum confundimur.* Sil. Ital. ubi ſupr. v. 479.

Ut cum fulminibus permixta tonitrua mundum
Terrificant, ſummique labat domus alta parentis.

Sil. Ital.

Unde dum dicitur, quòd terra mota eſt, quòd cœli & nubes diſtillarunt; nihil aliud ſignatur, quàm furioſa tempeſtas, contremiſcente terrâ inſolito concuſſu ex vibratis ab æthere ignitis iaculis in fulminibus, horridis nubium fragoribus in hoſtes, hallucinatos coruſcis, ac oppreſſos pluviâ grandinis. Ita in periodo Tautologiæ ly *cœli & nubes*, per Hendiadym interpretandum: id eſt, nubes cœli, vel aëris: de quo egimus & agemus ſæpè.

Hendiadys.

18 Rabbini, qui, ni nugentur, nugari exiſtimant; excogitarunt, dici ſtellas nactas victoriam contra Syſaram; quia triumphus Barac, & exterminium regni Iabin orta fuerunt ex concurſu ſtellarum. Otioſitas ſanè aſtrologiæ, quam fugio: ſi lubet huiuſmodi pugnam videre, adi Platonem in *Timæo.* Serranum & Marſil. Ficinum hìc *cap.* 4. & 5. Contra huiuſmodi deliria Delrium lib. 4. *Diſq. Magic.* cap. 3. *quæſt.* 1. Valleſ. in *Sacra Philoſoph.* cap. 31. Mar. Victor. lib. 3. *Geneſ.* à v. 140. Pererium latè lib. 2. in *Geneſ.* à num. 49. Quinimò ridet Propert. *lib.* 2. *Eleg.* 27. à v. 9.

Deliria aſtrologiæ iudiciariæ.

Præterea domibus flammam, domibuſque ruinam,
Cum Mavors dubias miſcet utrinque manus.

Propert.

Alij huiuſmodi concurſum ſtellarum dixere ingentem intentiſsimum calorem, quo præcipites hoſtes pro refrigeratione irruebant in torrentem Ciſon, & ſimul ſuffocabantur: equidem ita validi ſoles, ac fervidus æſtus, ut præ calore excuterentur ungulæ equorum (Placare debent hæc cogitantes Ioſephum, qui uti vidimus, frigori tribuit eventum: *Præ frigore gladios vix retinebant*) ſicque intelligunt v. 11. *Ubi colliſi ſunt currus & hoſtium ſuffocatus exercitus*: & v. 22. *Ungulæ equorum ceciderunt.* O capita! Abulenſis hìc phœnomena putat apparuiſſe ex ignitis exhalationibus, quæ ſtellæ cadentes dicuntur *Matth.* 24. 29. & Virgil. 2. *Æneid.* v. 692.

Rab. Salom.

Fabulæ Hebræorum.

Ioſeph.

Quæ ſtellæ cadentes?

——— ——— ——— *Subitoque fragore*
Intonuit levam: & de cœlo lapſa per umbras
Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit.

Virgil.

Vide La-Zerd. hìc, & in *Eclog.* 4. v. 50. - 1. *Georg.* v. 365. ac 463. Succinit etiam Ovidius lib. 2. *Metam.* fab. 1.

Volvitur in præceps, longoque per aera tractu
Fertur, ut interdùm de cœlo ſtella ſereno,
Quæ ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Ovid.

Huiuſmodi exhalationes, ſubdit Rabb. David Kimhi, exuſerunt inimicorum corpora, obcæcantes hoſtes, ut ſe ipſos propellentes ruerent. Hæccine meteöra proximo conflictu nocua fuiſſe caſtris, quibus apparuiſſent, docet La-Zerda in 7. *Virgil. Æneid.* v. 80. n. 6. plurimis exemplis. Audi ex Plutarch. in *Pompeio* mirum: *Panici quoque terrores in caſtris exorti, ipſum excitaverunt: ingens lumen effulſit, atque inde fax flammea accenſa ſuper Pompeij caſtra decubuit.* Et in *Iul. Cæſar.* ſubdit: *Eà nocte, quæ pugnam præceſsit, cùm ex-*

Prodigia ante pugnam.

Plutarch.

cubias ipſe inſpiceret, fax cœleſtis ignis conſpecta eſt: quæ cùm ſuper caſtra eius ſplendida & flammea ferretur, in Pompeij caſtra decumbere videbatur. Multa Claudian. de *Bell. Gildonic.*

19 Dicam ergo, quid ſuppoſità procellà, & fulminum, grandiniſque tempeſtate, auguror; ſed non ſine cogitationis fulcro: quandoquidem v. 15. dicitur: *Perterruit Dominus Siſaram, univerſamque multitudinem, in tantum, ut Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* Nimirùm, terrorem Panicum immiſſum in hoſtes. Hæc vox Ethnicorum eſt: originemque habuit ex induſtria Panis, dum militaret cum Baccho. Refert Iuſt. Lipſius de *Milit. Rom.* lib. 4. Dialog. 11. ex Polyæno lib. 1. *Stratag. Cùm Bacchus* (infit) *expeditione indicà in valle cava cum copijs eſſet, ex adverſo autem infinita hoſtium multitudo, nonnihil in animo pertimuiſſe: tunc Pana ſuaſiſſe, ut noctu Dionyſij exercitus maximum clamorem tolleret; quem cùm & petræ & valles exceptum referrent & augerent, hoſtes territos in fugam ſe dediſſe. Inde natum, ut terrores eiuſmodi Panici appellentur.* Ita Lucret. *lib.* 4. à v. 545. accinit:

Unde dictus terror Panicus?

Lipſ.

Nec ſimili penetrant auris primordia formà,
Cùm tuba depreſſo graviter ſub murmure mugit,
Et reboat raucum retrocita barbara bombum
Vallibus.

Lucret.

Ita ergo fugientibus hoſtibus canit Alciatus *Emblem.* 122. ex perſona Panis:

Effuſo cernens fugientes agmine turmas,
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

Alciat.

Vide plura & eruditione ſelecta apud Claud. Minoën hìc. Angel. Politian. *Miſcell.* cap. 28. Mirificè deſcribit Pauſanias in *Phocicis*, vel cap. 340. inter milites Brenni contendentes depilare templum Apollonis Delphici. Conſtat huiuſmodi terror ex Sacr. pagin. *Levit.* 26. 17. & 36. *Exod.* 23. 27. *Iudic.* 7. 21. 1. *Reg.* 7. 10. 4. *Reg.* 7. 6. & 2. *Paralip.* 20. 23. Etiam invenitur apud Ethnicos. Plutarch. in *Annibal.* ait: *Ex utroque cornu pavorem augentes.* Item: *Terrore Panico à Roma receſsit, cùm perveniſſet ad mœnia.* Et in *Marc. Anton.* ſubdit: *Trepidatione inde & confuſione per totum exercitum coörtà, quòd hoſtes irrupiſſe, & ordines diſſipaſſe putarent.* Stratagema inſigne vidimus in Octavium *Tautol.* 8. *num.* 5. At notandum, quòd terror Panicus propriè eſt ſine cauſa, uti ibid. vidimus ad illud: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: ſic Thyeſtes apud Tragicum, v. 434. infit:

Plutarch.

Quid propriè terror Panicus?

Nihil timendum video, ſed timeo tamen.

Senec.

Id eſt, ignoro quod timeo: ita Geneſ. 35. 5. dicitur: *Terror Dei invaſit omnes, & non ſunt auſi proſequi recedentes.* Cùm verò aliquid formidandum præſumitur, aut præcognoſcitur, terror Panicus propriè non eſt, niſi miſtus ex his quæ patientes trucidant, & ipſi patienda cogitant. Unde hoſtes Iſraël nonnunquàm in ruinam, pro illis timebant auxilia de cœlo; quoniam Deus & fecerat, & conferebat, modò Hebræis non iratus propter idololatriam, ut dixit Achior Holoferni *Iudith.* 5. 24.

Gen. 35. 5.

20 His igitur iurè præmiſsis, propiùs in Tautologiæ expoſitionem accedendum. Alij teſtimonium præſens intelligunt de præſenti victoria: alij de deſcenſu Dei in Sina, pro lege danda. Vel diviſivè, quatenùs pro præſenti articulo intelligatur: *De cœlo dimicatum eſt.* At verò de tractu illo: *Cœli & nubes diſtillaverunt aquis*: quomodolibet accipiatur, habemus propoſitum iuxta dicta. Diſtillare nubes aquis, non accipiendum pro communi pluvia; ſed pro imbre copioſo grandinis, continuatione fulgurum, iaculatione fulminum, boätu & reboätu tonitruorum, perculſis cordibus ex percuſsis oculis & auribus. Exod. 19. 16. *Iamque advenerat dies tertius, & manè inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perſtrepebat, & timuit populus, qui erat in caſtris.* Nihil de aquis, aut pluvia dicitur: iccircò neceſſe eſt pluviam intelligi hìc fulgurum, fulminum & tonitruorum meteora: *Neſcimus* (infit Caietanus) *quis fluxus fuerit, niſi metaphoricè applicetur fluxus ad fumum, ignemque & ſonitum buccinæ, quæ apparuerunt in monte Sinai.* Tunc Tautologiæ ſenſus erit: In conflictu Barac cum Siſarianis, eiaculantibus nubibus grandinem, fulmina, coruſcos, atque ex eruptione excitantibus fragorem in aures hoſtium, fremitu & ſtridore, grandi barritu, contigit, quod in Sina factum ante legis promulgationem. *Reliquum cœlum* (ait Ioſephus 3. *Antiq.* cap. 4.) *circunquaquè clarà ſerenitate obtinente, procellæ deinde cum imbre vehementi ruebant, & fulgura ſimul crebrò micantia terrebant, fulminaque eliſa. Hæc lecturi, ut cuique placuerit, accipiant: mihi certè fas non fuit diſcedere ab quæ in ſacra hiſtoria conſcripta habentur.* At ubi vidit? *Nullibi* (infit Caietanus loc. cit.) *in*

Aqua pro fulminibus & tempeſtate.

Caietan.

Ioſeph.

in libris Moyſis ſcriptum eſt, nubes ſtillaſſe aquas. Ergo huiuſmodi ſtillicidium de procella fulminum, atque turbinibus ventorum, &c. accipiendum. Hinc ſubdit Ioſephus: *Hebræi viſsà inſolità tempeſtate, eiuſque horrendo ſtrepitu, aures feriente, ſupramodùm turbabantur: nam & rei novitas terrebat.*

21 Eadem dicenda, modò pro victoria Barac accipiantur teſtimonia; quippe expoſitio primæ periodi, *Nubes* ſcilicet cœlorum, *diſtillaverunt aquis*, eſt dimicatio de cœlo. Ita Doctiſsimus Sanctius in *Pſalm.* 67. num. 18. In dimicatione cœlorum exprimuntur grando, & alia vibrata in hoſtes arma elementaria ab alto: hæcque dicuntur diſtillationes cœlorum, & nubium in pluviam procelloſam, nimbis, & typhonibus, torſis & retorſis fulminibus, & eiaculatis lapidibus grandinis. Sic accidit Ioſue 10. 11. de qua pugna Ioſephus *lib.* 5. cap. 1. *Interfuiſſe huic prælio* (inquit) *divinum auxilium, evidentibus prodigijs apparuit, cœlo tonante, & crebris fulminum ictibus, grandine inſuper maiore ſolito ruente.* Ita patet, quid ſit ſignatum per pluviam, ſeu quid ſtillæ nubium, & dimicatio cœlorum. Sic dicitur Pſalm. 10. 6. in Bibli. Antiq. *Pluet ſuper peccatores laqueos ignis*: & Maluend. in *Iudic.* 5. 20. *Pluviam* (id eſt) *venti, grandines, procellæ.* Pſalm. 148. 8. totum exprimitur: *Ignis*, nempè, *grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.* Pererius in *Exod.* 9. diſp. 4. in plaga grandinis in Ægyptios pluviam inficiatur, & duntaxàt admittit grandinem ad modum pluviæ: indicaturque Pſalm. 104. 32. ubi: *Poſuit pluvias eorum grandinem*: de quo vide Genebrard. hìc. Quapropter ſubauditâ notà comparationis, ut ſæpe alibi, ſenſus teſtimonij erit: Sicut fuit in Ægypto & Sina, ita in conflictu Barac.

Prodigia in victoria Barac.

Ioſeph.

In Script. ſubauditur interdùm nota comparationis.

Nox ruit, & ſubitæ cœlum obduxere tenebræ
Effuſoque cadens terras ferit aëre nimbus,
Præceps more brevis, ſervaturuſque tenorem.
Sic furit & toto pariter deſævit in orbe,
Tanquàm in parte ſolet, rapido cum turbine mota
Tempeſtas ſequitur, ſævos aut nunciat ignes
Fulminis, & tonitru cœlum, terraque reclamant.

Mar. Victor.

Inquit Marius Victor lib. 2. *Geneſeos*, à v. 456. & Virgil. 12. *Æneid.* v. 283.

——*It toto turbida cœlo*
Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber.

Virgil.

In cunctis cœlum Deus advocavit deſurſùm, & etiam terram, ut diſcerneret populum ſuum, illo intacto, nec perterrito; in quo non minus miraculum, cùm uteretur rigidis meteoris in intermiſtos hoſtes. Si dicam ex Homero *Iliad.* 8. v. 407.

——*Horrendum intonuit ſublimis ab Ida*
Fulmenque in Danaum populum detorſit, at illi
Stupuerant animis, pallens timor occupat omnes.

Homer.

Conſternationem animi, qualis fuit in Siſara perterrito, qui pedibus fugit in tuta, illi peiora; deſcribit graphicè in *Pompeio*, Plutarch. *Vidit* (inquit) *equites, non iam quidem qui priùs, neque ſe Pompeium eſſe magnum recordans: verùm eius ſimilis, cui Dij ſanam eripuiſſent mentem, aut clade divinitus illatà obſtupefactus, tacitus in tentorium ſuum abijt.* Siſara autem, ut occumberet, ad tentorium Iahelis.

Conſternatio in bello.

Plutarch.

22 Sed dices: Quare huiuſmodi ſtrages, cædeſque hoſtium per inſtillationem aquarum deſcribuntur, cùm ſtillatio ſit minutim & placidè? Ideò: & proprià ſimilitudine. Non impetè cuncta, nec omnia ſimul in exterminium hoſtium, ut in torrente Arnon, de quo num. 16. & in Mari-rubro; ſed ſicut in Ægypto plaga poſt plagam. Sicut lentè & guttatim imber fluit ex nubibus, ita in hoſtes ſupplicia mittebantur. Ita Deus ipſe dixit, Levit. 26. à v. 14. Si mandata non cuſtodiuntur, faciam hæc & hæc. *Sin autem nec ſic*, v. 18. *Addam.* Si adhuc nec ita, v. 21. *Addam.* Quod ſi nec ſic, v. 23. *Addam.* Sin autem nec per hæc, v. 27. etiam additurus. Non ſimul ſupplicia & flagella, ſed quaſi inſtillata adinſtar imbris iuxta crimina. Sic dicitur Geneſ. 19. & Pſalm. 10. cit. *Pluit Dominus ignem.* Unde claret auctoritatis expoſitio. Sicut in pluvia innumerabiles guttæ, & continuò poſt plures alias ſequentes; ita in huiuſmodi lapidum, fulgurum, fulminum pluvia: ſiquidem cuncta mittebantur, ſicut cadunt guttæ de cœlo, quùm pluit. Ita *ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo.* Ioſue loc. cit. *Lapides magnos*, id eſt, grana magna lapidum grandinis, quæ ſenſim demiſſa, & fulgura immiſſa, quouſque interirent hoſtes.

Cur ſupplicium dirum ſignatur per pluviam?

——*Ingeminant Auſtri, & denſiſsimus imber*
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

Virgil.

Canit Virgil. 1. *Georg.* verſ. 333. Dicitur & appoſitè *Denſiſsimus imber*; quippe tonitruis ful-

fulguribus, turbinibus lapides grandinis & fulmina torquebantur, quaſi guttæ imbre copioſo cadentes. Hinc intelligitur Iob 20.23. *Pluat ſemper illum bellum.* Sicut deciſas guttas decidentes guttæ in pluvia ſequuntur; ita tribulationes tribulationes ſequentur. *Icircò ſtillabit furor meus & non extinguetur*, dicitur 2. Paral. 34. 25. Inſtillationi confertur ira Dei, dum in iniquos procella cruciaminum detonat; ſicut dum placatur, non inſtillare dicitur. Ibid. *cap.* 12. 7. & *Mich.* 2. 6. 11.

23 Alia etiam cauſa ſuppetit, cur pluviæ conferatur huiuſmodi gravis pœna, quæ à Chald. in *Pſalm.* 10. 6. dicitur, *Pluvia vindictæ ſpirans ignem.* Pluvia, ut vidimus, formatà nube, vapore humido, Solis æſtu, extrahitur in aëre, vel ſubtrahitur à nube, in qua humor concretus pluvia eſt, quaſi ſtillatione. Unde floridà phraſe 2. Reg. 22. 12. dicitur: *Cribrans aquas de nubibus cœlorum*: guttatim, quaſi per cribrum. Prov. 30. 4. *Colligavit aquas quaſi in veſtimento.* Id eſt, quaſi per pannum colando, ut diſtillatio fiat. Formatur à natura, quod arte videmus in turbinibus æreis vel vitreis, quos *vaſa ambica* vocat Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 3. & Georg. Agricol, paſsim de *Re metall.* Nos, *ſublimatoria*: vulgò, *Alambique*, *Alquitara.* Quare ſicut quicquid extrahitur his inſtrumentis, *Eſſentia ſumma* vocatur, & quidditas depurata (quia intenſior, vivacior extractorum virtus) ita pœnæ eiuſmodi ſtillatæ exponuntur adinſtar pluviæ miſtæ ſulphure, nive & alijs contrarijs, uti videmus *Sapient.* 16. 20. ex *Exodi* cap. 9. 24. (Quomodò ſic iſta, vide Auguſtin. de *Civit. Dei*, lib. 21. cap. 5. Plin. *lib.* 31. *cap.* 7. & Solin. *cap.* 10.) ut pœna hoſtibus eſſet acrior, cruciatus vehementior, dolorque productior. Sic in àmaritudine animæ amaritudo amariſsima, uti inquiebat Eezechias *Iſai.* 38. 15. 17. igitur Deus tarditatem vindictæ gravitate compenſat. *Contra nos extrema extremorum mala*: dicit Sophocl. in *Philoct.* verſ. 66. & Nævius in *Fabul. Licurg.* ſubdit: *Animi acrem acrimoniam.* Hinc quaſi iracundus, quia in vindictam irritaverunt ſcelera, qui pius Dominus, ait: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine.* Ita igitur Daniel 9. 11. dicitur: *Omnis Iſraël prævaricati ſunt: & inſtillavit ſuper nos maledictio, quæ ſcripta in libro Moyſis.* Et clariùs Ezechiel. 38. 22. *Iudicabo eum imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum eius.* Hoc eſt, de cœlo deſcendent acriores calamitates gravium implicatarum inextricabilium pœnarum, ſicut quùm decidit pluvia. Ergo reſolvitur Tautologia, ita ut dimicatio cœli & ſtellæ pugnantes ſignent Angelos militiam cœlorum, efformantes meteöra, vel quid nubes in aëre & pluvia ex nubibus traxerint in hoſtes; quando in hos tanquàm imber ſuper terram, totius cœli tota procella præfata detonuit, quouſque, uti dicitur cap. 4. 16. *Omnis hoſtium multitudo uſque ad internecionem caderet.*

2. Reg. 22. 12.
Cur nubes ad pluviam conferuntur cribris?
Sophocl.
Deuter. 32. 42.
Ira Dei quā gravis!
Angeli ſignati per ſtellas.

24 Variæ pluviæ exponuntur tanquàm prodigioſæ ab Ethnicis, quas recenſet Hermann. Schedel in *Mund. regiſtr.* & Textor 7. *Officin.* cap. 53. Lacte pluiſſe & ſanguine, carne, ferro, lanà, lateribus coctis, lapidibus magnis, beſtiolis, videris ibid. ex varijs AA. De grandine portentoſa Serar. in *Ioſue* 10. quæſt. 11. Perer. & Alapid. in plagis Ægypt. Lorin. in *Sapient.* 5. 23. & *Pſalm.* 77. 5-104. 32. & Expoſitores in illud Apocal. 16. 21. *Et grando magna ſicut talentum deſcendit de cœlo in homines.* Claudian. de *Bell. Getic.* verſ. 230. & 240.

— Quid cùm mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui?
Addit cura novis, lapidoſos grandinis ictus.

Lucretius *lib.* 5. verſ. 106. *Grandinis imbres.* Ovid. 6. *Metam.* fab. 6. *Et terras grandine pulſo.* Virgilius lib. 10. *Æneid.* verſ. 803. & Stat. 8. *Thebaid.* verſ. 410.

Ac veluti effusà ſi quando grandine nimbi
Præcipatant. — Cùm Iupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis.

Ecce Dei arma *Fulgura & voces & tonitrua & terræmotus.* Apoc. 16. 24.

Pluviæ prodigioſæ.
Grando inuſitatæ magnitudinis.
Claudian.
Virgil.
Stat.

25 His igitur via & pervia ad meteöra primæ compoſitionis, ad quæ pertinent reliqui expoſitionis Pleonaſmi. *Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem*, dicitur per Evangelicum Vatem. Diſtinctio imbris & pluviæ, apud Valleſium de *Sacr. Philoſoph.* cap. 50. ſignatur per hoc, quòd pluvia ſit hyemis, & imber æſtatis: quod quidem voluntarium eſt, & conſonum mittenti falcem in meſſem alienam, quaſi neſcienti niſi devio cogitatu, componere philoſophiam cum Scriptura Sacra. Ignorat (nec mirum) uſum ſynonymorum, maximè in libris metricè ſcriptis. Pſalm. 147. 19. *Verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël.* Eſtne aliquod diſcrimen inter Iſraël & Iacob? Geneſ. 49. 7. *Ma-*

Iſai. 5. 6.
Diſcrimen inter imbrē & pluviam.

Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Ratiocinium igitur enervatur, dum legitur apud Zachar. *Pluviam imbris*, tàm in ſerotino, quàm in temporaneo, quod neutrum in æſtate eſt; nec fieri quibat, quia nullum tempus (dum ſimul pluvia imbris) ſimul hyems & æſtas. Ergo in textum. *Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Ad quid igitur, *Imbrem*; ſi ſufficiebat, *Ne pluant*? Neceſſarium ſanè, quod ſit imber, ubi pluvia. Non ſupervacuè additur. Pluvia genus eſt, imber autem ſpecies generis pluviæ: igitur uti diximus, eſt pluvia lachrymarum, telorum, fulminum, &c. quarum neutra imber; ſiquidem hic aquæ eſt, & placidæ in irrigationem: quapropter ſi dicitur imber, duntaxàt enunciatur metaphoricè.

Zach. 10. 1.

26 Poterat exponi Tautologia uſitato modo Scripturæ, de quo ſæpe egimus, & hìc *Tautolog.* 2. à num. 18. demonſtrantis ſuppoſitum neceſſarium. Iſai. 13. 4. *Militiæ belli.* 2. Reg. 1. 27. *Arma bellica.* Mich. 3. 5. *Mordent dentibus.* Luc. 7. 38. *Unguento ungebat.* Iob 3. 12. *Lactatus uberibus.* Rom. 12. 7. *Docet in doctrina.* Apoc. 10. 10. *Mel dulce*: & alia uſquequaquè ſimiliter. Apud Ethnicos ſanè magna fruges. Homer. 11. *Iliad.* v. 49. & 718. *Armis armati.* 18. *Iliad.* verſ. 350. *Plorabant lachrymas effundentes.* 14. *Odyſ.* verſ. 484. *Nix frigida.* Q. Calab. *lib.* 4. *Per genas lachrymæ.* Eurip. in *Phœniſ.* verſ. 799. *Quadrupedum equorum.* In *Heraclid.* verſ. 861. *Vinciens vinculis.* Sophocl. in *Philoct.* verſ. 952. *Supplicem ſupplicantem.* In *Oedip. tyran.* verſ. 806. *Lucrum lucratur.* Lucr. *lib.* 5. verſ. 106. *Nives gelidas.* Manil. *lib.* 3. *cap.* 1. verſ. 41. *Undamque natantem.* Virgil. 3. *Æneid.* verſ. 315. *Vivo, vitamque duco.* 4. verſ. 128. *Non adverſata petenti annuit.* Et *Eclog.* 6. v. 81. *Supervolitaverit alis.* Martial. 12. *Epigr.* 5. *Vacui, quibus otia.* In noſtrum argumentum, etiam concinunt, quaſi phraſe vulgari apud Orientales, Homer. 16. *Iliad.* v. 176-17. 154-4. *Odyſ.* v. 477. *Fluentis fluvij.* Q. Calab. lib. 8. *Fluxum fluentem.* Sophocl. in *Oedip. in Colon.* verſ. 725. *Abluit imbre.* In *Trachin.* verſ. 563. *Fluentem fluvium.* Euripid. in *Supplicib.* verſ. 206. *Stillas humidas.* In *Ion.* verſ. 105. *Humidis guttis humidum.* Etiam Latini imitati ſunt. Ovid. 2. de *Art.* verſ. 237.

Sæpe feres imbrem cœleſti nube ſolutum.

Et denique Boëtius de *Conſol. Philoſoph.* metr. 6. verſ. 29. *Defluus irrigat imber.* His modis dicendi, quaſi idiotiſmis exprimitur quandoque actio, quandoque effectus, quandoque cauſa, vel cuncta, præut in affectu loquentes, uti aſtruximus in *Prologo Galeat.* §. 4. Pariformiter in præſenti Tautolog. cauſa promitur in *Nubibus*, operatio in *Pluant*, effectus demùm in *imbrem.*

Sæpe in Script. enūciatur ſuppoſitum neceſſarium.
Ovid.
Et cauſa actio & effectus.

27 Licèt ſic multa, nihilominùs aliquid amplius (& aptius opto) cogitandum pro pleonaſmo Iſaiæ. Aliud eſt carere imbre, aliud non pluere. In primo ſignatur nulla pluvia: in ſecundo pluvia infructuoſa, quæ ad utilitatem nulla. Pluvia quit eſſe, ſed ſine imbre, vel non imber in pluvia, ut vidimus ſuprà de tempeſtatibus & nimbis: igitur pluvia in tempeſtatibus eſt tempeſtas & non imber. Iccircò Zachar. dicitur: *Pluviam imbris dabit eis.* Item Iob: *Pluvijs & imbris.* Doctiſ. Sanctius hic arbitratur, pluviam & imbrem dici per auxeſim, & copiam: quaſi inſignem, & abundantem pluviam, iuxta quæ diximus loc. cit. *Prolog.* à num. 5. ſumi geminationem pro ſuperlativo, vel pro multitudine. Hinc eodem cogitatu aliqui in præf. *Zachar.* loc. in *Bibl. Maxim.* legunt: *Pluviam pluviæ*, & *imbrem imbris*; quaſi copioſum imbrem & pleniſsimam pluviam. Unde Virgil. 1. Georgic. v. 28. ait: *Satis largum cœlò dimittitis imbrem.* Verùm enim venià mihi venerabiliſsimi Doctoris tanti, hic arbitror agi de pluvia fructuoſa, vel de imbre propriè, qui placida pluvia. Dicitur pluvia imbris, dum prodeſt arvis: ita Iacob. 5. 18. *Cœlum dedit pluviam*: dicitur pluvia & non imber, dum eſt procella; uti Pſ. 104. 32. *Poſuit pluvias eorum grandinem.* Unde non ſuperfluit *imbris*: igitur ni cadat ut imber pluvia nocet. In ipſis terminis elucet diſcrimen. *Pluviam imbris, pluviam grandinis.* Pluvia grandinis pluvia eſt, ſed in commodum, & hæccine non optatur; optatur pluvia imbris, rigantis terras, ut arva germinent, vireſcant prata, & meſsis perducatur in ſegetem. Ita Pſalm. 71. 6. *Stillicidia ſtillantia ſuper terram*: id eſt, ſenſim, minutim guttis cadentibus; equidem non propriè pluvia cum impetu. *Sicut terram nibibus, quando cœlum tacitè ferit*: inquit Apollinarius. Dornavius in *Pomo nuptial.*

Sic tibi frugiferos triſti ſine murmure cœli
Stillant, hortos placidè riget aureus imber.

Sic Hieron. legit: *Ut ſtillæ rorantes terram.* Maluend. *Sicut tenues imbres irroratio terræ.* Flamminius: *Sicut imbres ſtillantes.* Denique Chald. *Sicut pluvia beneplaciti ſuper herbam ſtillæ ſerotina.* Siccine terra ſitibunda bibit, etenim pluvia leniter cadit. Unde Iob

Aliud eſt carere imbre, aliud non pluere.
Zach. 10. 1.
Iob 37. 6.
Geminatio pro ſuperlativo.
Iacob. 5. 18
Pſal. 71. 6.
Apollin.
Dornav.

Procellæ quantum nocent?

Iob. 26. 8. inquit: *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum*: ſiquidem ita terras inundarent, & fructus cunctos obruerent.

Q. Calab.

Ut quando maturas ſegetes ingruens grando
Minutim diſecat, ac ſpicas omnes excutit
Magno impetu, calamus autem humi funditur
Inanis, fructu miſeris redacto ad nihilum.

Succinit Quint. Calab. *lib.* 14. & Virgil. 1. *Georg.* à v. 327. quem imitatus Mar. Victor ubi ſupr. *lib.* 2. v. 468.

Virgil.

——— *Ita turbine nigro*
Ferret hyems culmumque levem, ſtipulaſque volantes,
Sæpè etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta boumque labores
Diluit, implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu, fervetque fretis ſpirantibus æquor.

28 Pluvia nomen generale eſt ad quæque pluenda: imber ſpecificum, quippe ſignat aquam pluviæ. Nubes non demittunt totam molem ſimul, aliàs terras non rigarent, ſed ſata ſternerent, & attacta cuncta præut percuſſa deformarent, ſicut cùm procella ruit, & copià lædit & obruit.

Mar. Victor.

Dumque uno immixtum raptim ſe gurgite iungit
Quod cœlum, quod terra movet, quod nubila fundunt;
Involvit merſus mixtis cultoribus agros.

Hypallage. Idem. Ovid. Virgil.

Accinit Mar. Victor ubi dudùm. Quare dum dicitur pluvia imbris per Hypallagem, intelligendus eſt imber pluviæ, cadentis ſenſim, guttatim, ut terra nec ſitiat, nec inundetur. Idem ibid. v. 464. *Nec ſatis excidio eſt, qui nubibus effluit imber.* Ovid. 4. *Triſt.* Eleg. 1. v. 98. *Imber aquæ*: equidem aqua, quæ non imber, erit procella, quæ deſtruit, nequaquàm pluvia quæ congruit. Eodem intuitu Virgil. 4. *Georg.* v. 115. dicit: *Amicos imbres.* Item 1. *Æneid.* v. 127. *Inimicum imbrem*: igitur pro qualitate pluviæ, modo, & quantitate eſt aquarum pluvia, ſed non imbris.

Iob 12. 25. Nihil eſt, quod inutile. Ezech. 22. 24. Septuag.

29 Pluvia neceſſaria omninò, ſed cum modo, ſicut eſt imber. Quare Iob 12. 15. dicitur: *Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur, & ſi emiſerit eas, ſubvertent terram.* Sic dum iuſsit Deus, nubes ne pluerent imbrem, indicabat dignam Synagogam, ut pro imbre pluerent lapidibus & fulminibus: hinc non imber, eſtò plueret: quoniam ſi pluvia aliqua, magis quàm pluvia, procella; cuius aqua, quia non prodeſt, nulla dicitur iuxta Scripturæ ſtyllum: equidem cùm Dominus plueret, dicit per Ezechielem: *Tu es terra non compluta.* Nihil eſt cuius fructus non videntur. Unde etſi pluit, quia procella, non pluit; quandoquidem imbre, & nequaquàm tempeſtate compluta terra. Omitto tropologiam pro dura cervice Synagogæ, obturantis aures ad legis adimplendæ ſermones: unde aliqui apud Haye in *Bibl. Maxim.* aſtruunt: *Prophetis mandabo, ne prophetent prophetias.* Septuag. in loc. cit. Zachariæ, *Dominus pluviam imbris dabit*, vertunt: *Pluviam opportunam temporaneam & ſerotinam, Dominus fecit phantaſtas.* Literaliter exponitur imbrem dabit cum fulguribus ſeu coruſcationibus, quippe fulgetra ſunt allucinationes oculorum, quæ *Phantaſiæ* dicuntur, ſiquidem luminum radios radijs luminis turbant. Verùm tropologicè, Synagogæ idololatræ, ac in crimina proiectæ, Deum tanta beneficia conferre offenſum, videbatur & iurè prorsùs phantaſticum. Meritò Arator lib. 1. in *Act. Apoſtol.* verſ. 592.

Deus vel ingratis favet.

Arat.

——*Lapides Iudæa rebellis*
In Stephanum lymphata rapis, quæ crimine duro
Saxea ſemper eris.

30 Ad ſenſum commodiorem literæ deducenda interpretatio. *Nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Q. d. Nec gutta roris cadet ſuper te, ut ſterilitate terræ & urente fame cognoſcas ſaltem, quàm amarum dereliquiſſe Dominum. Hoc carentia eſt, non tantùm imbris, ſed & pluviæ: ita in montes Gelboë fulminat David: *Nec ros nec pluvia veniat ſuper vos.* 2. Reg. 1. 21. Promiſſum Iſraëlitis cuſtodientibus legem, beneficium pluviarum temporibus ſuis: *Levit.* 26. 4. *Deuter.* 28. 12. & loc. præf. *Zachar.* igitur illis prædictum. *Terra ad quam ingrederis poſſidendam non eſt, ſicut terra Ægypti, ubi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; ſed montuoſa eſt & campeſtris,*

Deut. 11. 10.

de

de cœlo expectans pluvias. Si ergo obedieritis mandatis meis, dabit pluviam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam. Quid ſerotinum & temporaneum dicatur, quod uſquequaquè in Scriptura, etſi vel oculis obvium, ſub dubio eſt. Doctiſſ. Sanct. tàm in *Oſee* 2. *n.* 127. quàm in *Amos* 4. *n.* 38. aſtruit, temporaneam pluviam ad ſatum, ſerotinam neceſſariam ad meſſem. Aliquando dormitat Homerus. Pluvia in meſſem omninò incongua, quam, ſi utilis, expectarent, & non timerent Agricolæ. Virgil. ubi dudùm: *Pluvia ſata læta diluit.* Ovid. 1. *Metam.* fab. 7. *Perit labor irritus anni.* Temporaneum igitur & ſerotinum terræ dicitur propter ſemina ſerenda, quæ quidem alia in exitu autumni, alia in exitu hyemis terræ mandabantur. Hinc triticum ex temporaneo dicitur hyemale, vel ſiligo: Hiſp. *Trigo candial.* Quod ex ſerotino, triticum trimeſtre: Vulgò, *Serodio*, aut *Trimeſino.* Unde pluvia ad ſatum utriuſque neceſſaria, & nomina imbris ex ſatione ſolummodò ſeminis. Si lubet de diſcrimine frumenti & tritici diſputatio, conſule Delr. in *Hippolyt. Senec.* v. 835. *Comment.* 3. ubi plura curioſa.

Quid temporanea & ſerotina pluvia? Virgil. Ovid.

31 Terra promiſsionis ſiccitate tantà laborat, ut deficiente pluvià his temporibus, quibus implentur ciſternæ; non ſolùm ſegetes, ſed animalia & homines extinguantur præ ſiti. In optima regione Paleſtinæ florebat Hieronymus, & nihilominùs in 4. *Amos* 7. ſubdit: *In his locis, in quibus nos degimus, præter parvos fontes, omnes ciſternarum aquæ ſunt: & ſi imbres divina ira ſuſpenderit, maius ſitis, quàm famis periculum eſt.* Ita minatum *Levit.* 26. 19. & *Deut.* 28. 23. *Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam*: igitur cœlum non ſolvetur in imbrem, ſicut nequit ſolvi ferrum; nec terra fructus producet, ſicut æs ferre non poteſt. De Iudæa Tacit. 5. *Hiſtor.* cap. 7. ait: *Solo cœloque iuxtà gravi.* Lib. 2. *Annal.* cap. 14. duritiem aëris in imbrem, vocat *truculentiam cœli.* & *lib.* 13. *cap.* 37. *Cœli duritiam.* Frequentiùs appellamus cœli inclementiam, & telluris pertinaciam: ſiquidem ex cœli pluvia, & ſemine in terra quaſi ex coniugio procreantur cuncta propter hominis commodum, ut canit Euripides apud Ariſtot. 8. *Ethicor.* cap. 1.

Inopia aquæ in Paleſtina. Hier. Levit. 26. 19. Tacit.

Pandit terra ſinus, pluviaſque à nubibus optat,
Cùm macer ablato campus ab imbre ſitit;
Nec minus à pluvijs queis turget in aëre nubes;
Optat in expanſos larga venire ſinus.

Eurip.

Si ita amor utriuſque, ac ex complexu utilitas degentium in terra, quinimò vita; nec guttula ſtillabit, nec fœnum terra, aut gramina proferet. *Lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur, propter malitiam habitantium in ea.* Lactant. de *Phœnic.* v. 23.

Fructus terræ iuxta hominum mores. Ierem. 12. 4. Lactant.

Nulla ſuper campos tendet ſua vellera nubes,
Nec cadet ex alto tumidus humor aquæ.

Divortium erit inter cœlum & terram: etenim *nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.* Pridem legum cuſtodià exaudiebam cœlos, cœli terram, terra triticum, vinum & oleum, ut dicitur *Oſee* 2. à v. 21. & *Levit.* 26. à v. 4. modò erit cœlum ferreum, & terra ænea; quandoquidem nec nubes in aëre pro ſolamine in ſpem pluviæ videbitur, nec ros ſitiente tellure ſuper gramen coägulabitur. Expectabit terra pluviam, & os aperiet in imbrem; cæterùm nec capiet rorem. Deſcribit floridè telluris ſiccitatem Ovidius lib. 2. *Metam.* fab. 1.

Corripitur flammis, ut quæque altiſſima tellus,
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis,
Pabula caneſcunt, cum frondibus uritur arbor;
Materiamque ſua præbet ſeges arida damno.
Parva queror, magnæ pereunt cum mœnibus urbes;
Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt, ſilvæ cum montibus ardent.

Ovid.

32 Exitium ita factum tempore Achab verbo efficaci zelatoris Eliæ. Baäl plaudebatur à Gentibus, maximè à Sydonijs, uti *Deus pluviarum.* Ita Ioann. Hieroſolym. *cap.* 9. cuius Opuſcula invenies *Tom.* 9. *Biblioth. vet. PP.* In ſuffragijs hominum erat etiam ligno, *Quis Deus eſſe velit.* Tres claves ſibi ſervavit Deus, clavem ſcientiæ, vulvæ & pluviæ. Sublatam hanc à Deo, ceſſamque Baäl arbitrabantur idololatræ Hebræi. Unde Elias, 3. Reg. 18. 21. *Uſquequò* (inquit) *claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baäl, ſequimini illum.* Patuit pluviæ clavis apud Deum ſacrificio Eliæ, tam victimæ, quàm ſacrificulorum. Quapropter cùm Baäl idolum protervo animo, præcipuè reginà urgente in cultum, adoraretur; dixerat cap. 17. 1. *Vivit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit* (*Si* pro *Non*, ut latè egimus *Tom.* 2. *Tautolog.* 11. *à num.* 24. & in

Baäl Deus pluviæ. Claves ſcientiæ, pluviæ & vulvæ penes Deum ſolum. Si pro Non.

præ-

præſenti articulo Cantici Deboræ v.8. *Clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſraël*: id eſt, non apparuerunt: pariter hic, *non erit*) *annis bis ros & pluvia, niſi iuxta oris mei verba.* Tunc apparebit, quis Deus, & Deus pluviæ. Patuit, ut à cultu ficti Dei removerentur Hebræi, qui toto triennio præ ſiti aruerant; & perijſſent, ni converte-
Chryſoſt. rentur ad cor. *Subitò anhelat terra* (inquit Chryſoſt. ſerm. 2. de *Elia*) *ſiccatur cœlum, ſitiunt amnes, fontes areſcunt, æſtuant noctes, humor ima petit, ſupera deſerit, aër fer-*
Deſcriptio ſiccitatis. *vet, ſerenitas torquet, nemora languent, campi ieiunant, ſata torrentur, arbuſta ægrotant, prata deficiunt, tranquillitas pœna eſt, ſqualet terra, herbas interimit: iram Dei univerſa creatura teſtatur. Creſcit malitia populi, creſcit & inopia rerum: ſævit cunctorum impietas, ſævit & in cunctos neceſſitas: & quaſi diverſitas iſta invicem concertaret; ſic ſeſe iſta ſuperare contendunt, ut putarent dementes, ſceleribus famem vincere; facinoribus neceſſitatem avertere, peccatis inopiam ſuperare.* Ecce cœlum ferreum & terram æneam.

33. Maximi doloris ſanè defectio pluviæ; ſed acerbioris, modò pluvia inducatur pro-
Suſpenſio pluviæ ſupplicium grave. pter peccata: dicente Iobo 38. 25. *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui, ut plueret ſuper terram abſque homine in deſerto, ubi nullus mortalium commoratur; ut impleret inviam & deſolatam, & produceret herbas virentes? Quis eſt pluviæ pater?* Igitur Deus pluit ubi vult, & quando vult. Beneficio & ſubtractione pluviæ diſcre-
Amos 4. 7. vit Deus bonos & malos. Unde per Amos dicit: *Ego prohibui à vobis imbrem, & plui ſuper unam civitatem, & ſuper alteram civitatem non plui: pars una compluta eſt, & pars,*
Gratia ſpecialis pluente cœlo à pluvia non tangi. *ſuper quam non plui, aruit.* Sicut gratia ſpecialis, à pluvia non tangi, dum pluit; ut vidimus, n. 14. ita alibi pluvia, & ibi ſiccitas, ſingulare deſignabitur flagellum propter ſingulare flagitium. Omnibus pluit Dominus, & Solem oriri facit ſemper bonos & malos, uti dicitur *Matth.* 5. 45. ſed aliquando privat improbos à communi beneficio, ut cognoſcant flagella manare ſtudioſe è cœlo: aliàs dicerent, quòd ex diſpoſitione ſtellarum & elementorum proveniret ſiccitas terræ, cùm eſſet à malitia inhabitantium in ea, & produce-
Manna improbis cibus levis. ret illorum improbitas. Sic cùm manna converteretur ad quod quiſque volebat, anima impiorum nauſeabat ſuper cibo leviſſimo; quippe uti placet Rabbinis, & aliquibus Catholicis, minimè convertebatur ad voluntatem impiorum. Adi Lorinum & Apont. in *Sapient.* 16. 21. Ita hæc fiebant, ut ex neceſſitate ſaltem improbi rebelles animi mutarent propoſitum, ac vexatio præberet famelicis intellectum. Iubet Deus nubes rigare tellurem: ſed etiam iubet, ne pluant ſuper hos, vel illos imbrem; quippe *quædam facit opportuno*
Auguſt. *tempore præter uſitatum curſum ordinemque naturæ*, ut ait Auguſtin. Tract. 24. in *Ioann.* ut obiectis peccatoribus imbris carentià, atque in bonos abundantià; non caſu facta autument, ſed nutu ſupremi auctoris, tanquam rerum cunctarum arbitri, dividentis ſingulis,
Deus quo pacto iubet pluere ut pater, & ut iudex? prævt placuerit. Facit, quæcunque vult in cœlo & in terrà: igitur quùm hìc non pluit, & alibi pluit, miniſterio Angelorum ſpeciali (quoniam Deus dum pluit, omnibus utcunque pluit) ducit nubes quà & quò vult, favens cognoſcentibus illum. Hinc in Iſraël horum arva rigabat, ſimulque, ſine guttula campos, & ſata idololatrarum in ſupplicium tranſibat. Abdicebat utique modò pluvia ſine imbre, id eſt, procella modò nullà pluvià, modò pluvià & non ibi: quoniam ſi uti miſericors abſolutè pluit ſuper iuſtos & iniuſtos; reſpectivè ut iudex aliquando pluit ſuper hanc civitatem, & ſuper alteram civitatem non pluit. Hæc de litera textus: modò ad verſiones principalis Pleonaſmi.

34 *Cœli ac nubes diſtillaverunt aquis.* Pagn. Vatabl. & Caietan. *Cœli ſtillaverunt, &*
Varietas verſionum. *etiam nubes ſtillarunt aquas.* Maluend. *Guttarunt aquas.* Arias Montan. *Nubes cœlorum ſtillarunt aquas.* Septuag. *Cœlum ſtillavit rores, & nubes aquas.* Reg. Complut. *Cœlum conturbatum eſt, & nubes pluerunt.* Chald. *Stillarunt pluviam.* Syr. *Sparſerunt aquas.* Senſus verſionun ſatis clarus ex literæ expoſitione. Videamus quomodò oculorum ſtillicidium, ut perveniat uſque in cœlum.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilogus Excurſ. 1 *Cœli ac nubes diſtillaverunt aquis.* Diſcrimen adventus Verbi Divini in mundum, atque Deiparæ aſſumptionis in cœlum: etenim hoc, Verbo deſcendente, plorat, Virgine aſcendente, exultat.

2 *Cœli ac nubes diſtillaverunt aquis. Terra mota eſt.* Venit Deus in ima, & cœlis plorantibus, commovetur terra: equidem congrua & lachrymatio & commotio, dum Deus factus homo videbatur in hoc mundo.

3 Pro terræ motione, *aquis* ut nubes *diſtillarunt cœli*: quippe lachrymæ cœleſtes, ubi fletus intellectus videtur in terra cordis.

4 *Cœli diſtillarunt aquis*; uti ſigna veræ cordis pœnitudinis: igitur pretioſæ lachrymæ, ſi ex toto corde.

5 Cœli deſcribitur lachrymatio, ut flere doceatur homo ex memoria delicti, qua offenſi cœli: quandoquidem victrix de iuſtitia lachryma, ſi videtur in oculis facti criminis memoria.

6 *Cœli ac nubes aquis diſtillarunt*, dum notuit Iſraëlitis gratia legis ſcriptæ. Idem accidit, ubi ſcripta ex cruce à Salvatore lex gratiæ. Cœli ſidera Matris-Virginis diſtillarunt aquis; ſed nunquàm viſo artificio doloris: igitur ad inſtar nubium manantes lachrymis oculi, ſerenitate mirà fulgurabant ſicut cœli.

DIDASCALIA PRIMA.

Scrutator maieſtatis Virginis, à gloria tantæ opprimitur maieſtatis.

Maria cœli regina, & mundi domina. 1 MUndi domina, & cœli regina, plauditur Virgo a Petr. Damiano, ſerm. de *Aſſumpt.* Nihil mirum, quòd cœlum ſingulariter exultet, ubi iam ſibi & ſuam Reginam habet.

Venant. *Culmina multa polos radianti lumine complent:*
Lætanturque pijs agmina ſancta choris.

Modulatur Venant. Fortun. lib. 8. de *Gaudijs, & ſpe vitæ æternæ*, v. 1. Quidni plauderent cœli, ſi in gloriam ingreſſa, quæ complementum gloriæ? Cùm Dominus veniret, *Cœli* (inquit Debora) *diſtillaverunt aquis.*
Indic. 5. 4. Terra gaudet, cœlum luget; ſed modò, aſſumptà Marià, terra luget, cœlum gaudet; quippe tunc immortalis deſcendebat in mortem, & modò mortalis Virgo induit immortalitatem. Angeli pacis amarè flent, quoniam humanitate quaſi obſcuratus eſt Sol: & Virgine-Matre Solis progrediente in cœlum, ſummum oritur Angelorum gaudium; igitur iam cœlumglorioſiſſima im-
Cœli gaudium. plet, quæ Solem ad terram pulchritudine traxit. Nonnunquàm cœli iubilus, quod terræ fletus: ſed neſcit cur plorat, ubi cœlum exultat: quandoquidem quam præ gloria mirabatur homo in terra, mirabilior apparet elevata ſuper ſidera.

Benavid. *Tu decus es, columenque ſoli, tu pandis Olympum,*
Virgo beata, Dei filia, Sponſa, Parens,

Iam terra poſſidet, quo oſtendat cordis lætitiam, contemplans Virginis gloriam: igitur in pura creatura pro ſpecimine gloriæ conditionis humanæ, in Virgine-Matre præ ſe feruntur primitiæ.

2. In eius gloriam intereſt viſio, fruitio; ac deitatis comprehenſio; ſubiectis potentijs hominis, in tantæ Virginis reverentiam maieſtatis. Viſa viſio & ſententia intellectionis humanæ, *Tautolog.* 6. *Didaſc.* 2. Videnda modò ſententia voluntatis & memoriæ de fruitione & comprehenſione Mariæ. Oculus intellectionis ſignum, nonnunquàm in capite collocatus. Permutavit ſitum Achiles Bocchius: equidem collocavit in corde, quem abſtulerat à capite. Sic inſit *Symb.* 108.

Cor oculatum eſt: oculus cordis honos.

Si per oculum intelligentia, ex ſymbolo in- Bocch.
tenditur ſumma: igitur ſummè ſapiens, ſi *cor intelligens.* Cor emblema patet voluntatis, oculus intellectionis: permutanturque 3. Reg. 3. 12
ſitus, an valeat voluntas, ubi cadit intellectus: ſiquidem plus dicere ſolet votis æſtuans *Quid oculus in corde?*
inflammata voluntas, quàm intelligentiæ ſubtilioris perſpicacitas. Voluntas appetit plura, quæ non poſſunt appeti (quippe non plura) pro quibus concupiſcitur etiam concupiſcentia: exponiturque thronus intellectus, qui voluntatis eſt thronus; quippequàm magis vident deſideria voluntatis, quàm mentis illuminatæ altiſſimæ intelle-